

et maxime Iconii [A], ubi interfecerunt Christiani ultra LX milia utriusque sexus Saracenorum. De consilio itaque et adiutorio principis Antiocheni [a] et Leonis Herminiae majoris [b] Alaph [c] civitatem magnam Saladini juxta principatum Antiochie obsedit. Cum autem intus reclusos per vii dies modicum flagellassent, supervenere tres filii Saladini, infinitum et terribilem ducens [d] secum unusquisque exercitum, qui cum praefato duce vicissim tribus diebus [e] et noctibus continue pugnare non cessaverunt. Occiderunt vero ex parte hostium profecto c milia virorum; nominatum autem ducem Conradum cum militibus quingentis et mille peditibus protexit Dominus, ut voluit, ceteris martyrio coronatis. Anno quoque Domini MCXCI, dux nominatus, cum paucis qui remanserant, ad civitatem Acharon, quae dicitur Acri [B], perrexit, ubi, ut suo placuit Creatori, naturae concessit.

Quando Faventini cum Episcopo ultra mare iverunt.

CAP. CIV.

Sub anno igitur nativitatis Domini MC octagesimo nono [f], Iohannes Faventinus episcopus, cum CC civibus [g] Faventiae, ad Terram sanctissimam perrexit recuperandam. Qui fere omnes cum praefato episcopo, aut in castris Acri et in bello interiore [C], aut in navi, quae passa est naufragium, migrarunt ad Dominum. Marchio vero [D], tamquam major et princeps omnium, cum aliis de castris, post multa [h] et varia bella, post infinitas [i] Christianorum mortes atque inimicorum, civitatem Acri praeliando ceperunt [j], interficientes ultra xx milia electorum [E] Saracenorum. Quo Saladinus viso, maxima permotus tristitia, statim secessit, totum distribuendo exercitum ad custodiam locorum quae ceperant [k]. His taliter gestis, praefatus Marchio, omni memoria dignus, cujus probitatis redolens fama merito totum repleverat orbem, dum ad recuperandam Terram sanctissimam modis conabatur omnibus, dumque tam pio [l] die noctuque desudaret operi, ecce subito tres viri omni pleni nequitia, omnique imbuti malitia, cognomine Assentini [m], missi, ut postea [n] retulerunt, a Vetulo de Montanis; hi ex ipsius [o] mandato obficientes

[a] principis Antiocheni, C. V.; principis Antioeni, C. M. — [b] Herminiae majoris. Sic Codd.; Cl. Mitt. corrigit: Armeniae majoris; id est vulgo Turcomania. — [c] Alaph. Sic Codd. — [d] terribilem, ducens. Sic Codd. — [e] diebus, in C. M., bis scriptum. — [f] MC octagesimo nono, C. M.; MCLXXXVIII, C. V. — [g] cum CC civibus, C. M.; cum ducentis civibus, C. V. — [h] post multa. Sic legit Cl. Mitt.; per multa, C. V. — [i] post infinitas. Sic legit Cl. Mitt.; per infinitas, C. V. — [j] praeliando ceperunt. Sic Codd. — [k] quae ceperant. Sic Codd. — [l] tam pio. Sic Codd.; non tam pro. — [m] Assentini, C. M.; Afsentini, C. V. — [n] ut postea, C. M.; ut per ea, C. V. — [o] hi ex ipsius. Sic lego. In Codd., hi ex ipsius.

[A] Iconium, nunc Cogni, est urbs metropolis provinciae Caramaniae.

[B] Acri, latine Ptolemais, urbs maritima cum portu, in ea parte Syriae quae paret principi Damasci.

[C] Fortasse plerique ex peste, quae castra Christianorum apud Tyrum invasit crudelissima.

[D] An hic filius imperatoris intelligendus, nimirum Fridericus, sive Conradus, de quo supra?

[E] Hoc accidit die xii julii, anni 1191.